

donat. Ideoque iudicium diuinum & pœnam illam, de qua gra-  
 uissime Solomon Prou. 17. 15. *Qui absoluit improbum, & qui con-*  
*demnat iustum, abominationi Iehoua sunt aequè ambo: in se deriuauit.*  
*Vt enim accipere personã improbi non est bonum: ita nec peruertere iustum*  
*in iudicio.* Prou. 18. 5. Hoc enim est ius in absinthium conuerte-  
 re, & in cicutam transmutare, vt iniquos populi sui iudices apud  
 Prophetam accusat Deus. Simpliciter enim vult Deus, vt non  
 pro arbitrio, ac beneplacito suo, sed secũdum tenorem legis sue  
 iustitiam, & iudicium erga omnes Magistratus exerceat, parcẽs  
 illis, quib. ipse in lege sua indulget, contra seuerẽ in eos animad-  
 uertens, quos ipse morti adiudicat. Huc pertinet grauissima  
 interminatio Dei de occidendis sine respectu seductoribus & a-  
 postatis, Deut. 13. à v. 6. & c. *Si clam incitet te frater tuus, filius matris*  
*tuae, aut filius tuus, aut filia tua, aut vxor charissima tibi, aut amicus tu-*  
*us, qui est sicut ipse tu, dicendo: Eamus, & colamus Deos alienos, & c. Ne*  
*acquiescito illi, neque auscultato illi, neque parcito oculus tuus illi, neq, cle-*  
*mentia utitor, neque celato illum: sed omnino occidito illum, & c.* Idcirco  
 grauissimam Dei iram in se concitarũt, & in excommunicatio-  
 nis pœnam incurrerunt impii Israelitarũ Reges Saul, & Achab,  
 contra Dei voluntatem, & mandatum aliis regibus ab ipso ad  
 exitium destinatis, parcentes, vt historiã eorum clarẽ testantur.  
 1. Sam. 15. & 1. Reg. 20. Sed & Chananæis, inter alia peccata, qui-  
 bus vt è terra sua eiicerẽtur, commeriti erant, etiam hoc à Deo  
 grauiter exprobratur, quod scelerum impunitate terram pol-  
 luerint. *Haud enim temerẽ magistratum gladio armauit Deus, sed vt*  
*sit ultor ad iram ei, qui quod malum est, fecerit.* Rom. 13. 4. Et in gene-  
 re omnes Magistratus sibi dictum esse putabunt, quod scribitur,  
 Ier. 48. 10. *Maledictus, qui facit opus Iehoua fraude, & maledictus, qui*  
*cohibet gladium suum à sanguine.* Item Esa. 5. 20. *Va dicentibus de malo*  
*bonum esse, & de bono malum: statuentib. pro luce tenebras, & lucem pro*  
*tenebris: statuentibus amarum pro dulci, & dulce pro amaro. Va sapien-*  
*tibus iudicio suo, & coram facie sua intelligentibus.* Fuerunt quidem,  
 fateor, asyła, & refugii ciuitates in populo Dei, sed quæ nõ quos-  
 vis sceleratos recipiebant, & tutabantur, (qualia nunc sunt Pon-